

Timent enim vbi nullus est timor. Hæc quæ  
diximus vera sunt, si Minister sit Sacerdos.  
¶ Laico vero vel non Sacerdoti non licet  
Baptizare cum aqua sanctificata, secundum  
Ricard. in. 4. d. 5. ar. 6. q. 1. & Angelum in  
ver. Baptis. 5. Si autem sic Baptizet, peccat  
mortaliter, nisi in necessitate quando aliam  
habere non potest, secundum Angelum. Hoc  
autem intelligo si laicus habet ex officio Bap-  
tizare, sicuti est obstetrix, quæ tenetur scire  
ritum Baptizandi, non autem verificatur de alijs,  
quibus ex officio non incumbit Baptizare,  
quare non tenentur scire huiusmodi ritum.  
Posset tamen sibi paruulus offeri in neces-  
sitate graui constitutus, & ipse credens, quod  
debeat Baptizare per aquam sanctificatam,  
credo quod mereretur sic Baptizans præser-  
tim si a nullo pro illo tunc possint infor-  
mari. Non est autem opus quoties Baptismus  
conferendus est, toties aquam consecrare,  
licebit enim aquam semel consecratam, ali-  
quandiu conseruare, modo singulis, vt mini-  
mum, quindecim diebus, noua consecretur  
aqua, ne vetus corrumpatur, serueturque  
non in alio vase, sed intra ipsum fontem  
Baptismalem.